



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu  
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

**Comitin, César Jean-Baptiste**

**Coloniae, 1709**

Caput Quartum. Conclusio primi libri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)



DE TIMORE DOMINI. 31

ejusque nepotum, unum ob pomum. 3. Quæ  
 mea, quæ tua apud inferos. 4. Quæ cæli ja-  
 ctura. 5. Qui fiat, ut neutrius æternitatis  
 supplicio satisfiat? neque omnium Angelo-  
 rum hominumque votis & pœnis. 6. Unum  
 in cruce Deum huic malo parem. 7. Incre-  
 dibiles hîc quoque, dùm parcitur, multas  
 irrogari. 8. Vinci peccato omnia bona; imò  
 etiam omnia mala. Quare concludo: nihil  
 in mundo exitiosius esse homini; si tamen  
 homo est, qui peccat. Concludo: colubrum  
 esse in sinu, pestem animi, cancrum, mor-  
 tem, exitium, flammam, infernum, Megæ-  
 ram, & si quid pejus excogitari potest. Con-  
 cludo: cùm justissimus Deus personarum  
 acceptor non sit; quod in Angelo, quod in  
 patre nostro, quod in fratribus tam acerbè  
 punivit, id ipsum si in nobis nactus erit, æ-  
 quali pondere puniturum: imò jam fortè  
 punire. Concludo: quidquid agas, quam-  
 cunque in partem te vertas, seriùs ocyùs  
 luendum tibi est. Hîc vel illic, igne aut aquâ,  
 lacrymis vel flammis. Tua est optio.

CAPUT QUARTUM.

*Conclusio primi libri.*

**H**Abes, quæ sponponderam, momenta  
 rationum omnino quatuor supra vi-  
 ginti. Octo prima, ut initio dixi, te spectant.



Octo secunda Deum. Octo tertia peccatum  
tuum.

§. I. *Anacephalaosis.*

Nunc ego te , optime Adolefcens, ad te  
ipsum revoco, te tibi sisto. Considerâsti? per-  
pendisti? quæ igitur tua mens? qui sensus?  
Rogo te, quâ fieri potest , ut homo rationis  
compos, ut Christianus , in tam horribilem  
omnium malorum voraginem sciens vo-  
lensque se præcipitet? Vidisti, uti voluptas  
brevissima, spurcissima, amarissima, scopu-  
lus omnium bonorum, vitæ, valetudinis,  
incolunitatis, famæ, honoris, pudicitia,  
tranquillitatis animi, gratiæ divinæ atque  
humanæ. Vidisti, uti corporis vires infrin-  
geret, cursum annorum imminueret, æter-  
nitatis pœnam non contraheret. Vidisti, ut  
in ordinem bestiarum suâ spurcitiæ, imò in-  
fra bestias & in numero dæmonum suâ ma-  
litiâ collocaret, & aliquid pejus afferret in-  
forno, quem peccato præferunt Sancti. Vi-  
disti, ut omnibus virtutibus spoliatus, præ-  
sidiisque cæli, suffragiis Ecclesiæ, communi-  
one Sanctorum, protectione Dei & Angelo-  
rum, mancipia efficeret diaboli, milites ejus  
& contubernales, desertores Christi, chari-  
tatis parricidas, impios, efferatos, perduel-  
les, pertinaces, atque in proprium exitium

æaco



## DE TIMORE DOMINI. 33

cæco impetu ruentes. Vidisti, vidisti effrænata mentis & in malo obstinatæ horribilem & omni monstro horribiliorem imaginem; ejus jugulo imminentem hostem, dæmonem & Deum, mortem hanc & æternam. Vidisti etiam, quàm gravis esset illa culpa, quæ Dei majestatem imminueret, potentiam contemneret, bonitatem calcaret, justitiam irrideret, non se oculis subtrahens divinis; sed opponens, sed ingerens. Vidisti, ut beneficia in tela, indulgentiam in contumeliam, amorem in odium converteret; vitam & suam & Christi, utramque à Deo sibi donatam, disperderet: divinum sanguinem per summam injuriam rursus effunderet, calcaret, exinaniret, novas ei cruces fabricaret, voluntate peior & Judæis, & dæmonibus, licet factis minor.

Denique ne putares fieri ista grandiora dicendo; ex pœnis magnitudinem culpæ conjiciendam dedi. Vidisti tragœdias, Angelum, Adamum, te ipsum. Communem omnibus peccantibus scenam, infernum. Ibi tuum jam ardere peccatum, nunc quidem in alienis corporibus, præjudicium & exemplum tui; postea in animo, in membris, in omnibus fibris tuis, nisi cessas. Pœnam porro tantam, ut æternùm sæviat; nec tamen



tantam, ut peccatum expiet. Ad hoc in crucem agendum fuisse Deum, in infinitas clades hominem, etiam in hac vitâ, Incredible odium Dei in peccatum audisti.

§. 2. *Peroratio.*

Quibus probè intellectis, éstne nunc hærendi locus? est gutta sanguinis? est sensus in venis, qui non stupore, formidinéque obrigescat? Quo non æstu rapi, in quam admirationem non venire debemus amentix, stuporis, furoris, hominum, horrificæ rerum ignorationis? Quid dicis de te ipso? ubi nunc es? quomodo non exclamas? O me miserum! quid egi! egóne? O infelicem! quàm immensum pondus malorum! quàm omni ex parte infinitum! quàm sine numero! quàm sine fine? & quorsum? momenti gratiâ? Credam hoc? ego unius horulæ causâ, quæ præterit, quæ evanuit? quid dico? quæ nunquam præteribit, dum ero. Ego Christianus hoc feci? momentum æternitati prætulî? & quoties? & quàm diu? O stultum! ô amentem! ô furiosum! violata ergò, pessumdata, funestata virginitas mea, amissa innocentia, pudor ereptus, Deus abjectus, perdita omnia? Quàm pauca dixi? Heu me, quid dicam? nesciebam ista? toties monitus à Deo: foris, intus, ubique. Ignorabam Christum? Re-

dem



DE TIMORE DOMINI. 37

demptorem, Creatorem, Servatorem? tot  
 ejus beneficia, tot curas, tantam providen-  
 tiam, misericordiam tantam, & justitiam  
 tantam? an fulminantem in omnes justum-  
 que, putabam me unum præteriturum?  
 Quid dicam? quò me vertam? Ah! dilectissi-  
 me fili, quid? lacrymæ tuæ, suspiria, gemitus  
 quæruntur. Hic, hinc. Ne longiùs abeas, in  
 hanc chartam effunde. Curre, festina, dum  
 tempus est. Ego te, per quicquid tuum est,  
 æternum, & caducum; quid ego? tuus, tuus  
 te Christus, tua salus, tua æternitas, tua om-  
 nia hoc petunt. Si te amas, si vitam hanc, si  
 salutem; age, quanto robore poteris, in-  
 concusso decreto exere vires mentis omnes,  
 ut horrorem, ut odium, ut iram, ut immor-  
 tales inimicitias concipias. Dic, dic: Veniant  
 catastæ, equulei, flagella, scorpium; non com-  
 mittam. Nunquam, in æternum non com-  
 mittam. Sit tibi hoc in mente, sit in corde, sit  
 in oculis, sit in lecto; sit in ludo, die noctêque  
 fixum, irrefixum, NON PECCARE, & si peccâ-  
 sti, peccato non inhærere. Fuge colubium,  
 fuge mortem, fuge flammam: insequuntur,  
 instant, post tua terga; respice immensas, in-  
 finitas, æternas. Fuge, fuge, inquam. Sodomam  
 ardet & ardebit. Fuge in montes, fuge quò



non accedat hæc lues;fuge ocyùs,dum licet.  
Citò,citò.Longè,longè.

§. 3. EFFATA.

Quid prodest homini , si mundum uni-  
versum lucretur, animæ verò suæ detrimen-  
tum patiatur? aut quam dabit homo com-  
mutationem pro animâ suâ?CHRISTUS.

Ducunt in bonis dies suos , & in puncto  
ad inferna descendunt. Job.

Non est ludus hæc vita ; aut si est ludus  
hæc vita, non est ludus & altera vita. CHRYS-  
SOSTOMUS.

Nulla satîs magna securitas , ubi pericli-  
tatur Æternitas.GREGORIUS M.

Festinare debet unusquisque ad Deum  
pœnitendo; ne, si dum potest, noluerit, cum  
tardè voluerit, non possit. ISIDORUS.

Qui pœnitenti veniam promisit, peccan-  
ti diem crastinum non spondit. AUGUST.

Fallax est hic mundus , finis dubius, exi-  
tus horribilis, iudex terribilis , pœna inter-  
minabilis. CHRYSOST.

Quid stupemus? ubi sumus? quis iste, qui  
nos eludit, somnus? quæ est ista, quæ nos te-  
net, lethalis oblivio? Quare non cælo muta-  
mus terram? quare non caducis emimus æ-  
terna? quare non perituris manentia compa-  
ramus? CHRYSOL, CON-